

9168  
DISPUTATIO JURIDICA  
De No 211.  
**OBLIGATIONI-**  
**BUS IN GENERE**

Quam 1624,5  
DEO Ducende ac adjuvante  
15

Ex  
Permissu ac concessione Magnifici  
Nobilissimi & Amplissimi Ictorum Or-  
dinis in Illustri Academia Jenensi

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi ac Consultissimi Viri Dn.

**GEORGII HIMMELII**

J. U. D. fautoris ac præceptoris  
sui colendissimi,

*Ventilandam exhibet & pro ingenii modulo  
defendere conatur*

**ELIAS AUGUSTINUS Hueffler /**

Francohusanus Thuring.

*Ad diem 6. Mart. loco consueto*

J E N Æ

**TYPIS JOHANNIS BEITHMANNI.**

ANNO M. DC. XXIV.

PERILLUSTRI AC GENEROSISSI-  
MO DOMINO

Dr. LUDOVICO GUN-  
THERO de Quatuor Sacri Romani  
Imperii Comitibus, Comiti in Schwartz-  
burg ac Hohnstein, Domino Arnstadii,  
Sondershusæ, Leutenburgæ, Lohræ,  
Clettenburgi &c.

*Domino meo Clementissimo*

Exercitium hoc  
juridicum

In debita subjectionis  
testimonium

Subjectissimè dedicat  
offert.

Autor ac Resp.

DISPUTATIO JURIDICA.  
De  
OBLIGATIONIBUS.

PRÆFATIO.



Uandoquidem totum jus  
privatum & civile in obligationi-  
bus & actionibus est positum,  
*teste Giphano in lect. ad rub. ff. de O. &  
A. n. 1.* Quarum illæ ostendunt,  
quid cuique debeatur *arg. pr. l. de  
Obligat.* Hæ vero, quomodo id, quod debetur in ju-  
dicio obtineri possit commonstrant *§. 1. l. de act.* In-  
de apparet quam utilis & necessaria utrarumque il-  
larum sit cognitio, unicuique qui operam suam juri  
addiscendo impendere, ac tandem ambigua causa-  
rum facta dirimere, gloriosæque vocis munimine  
laborantium spem vitam & posteros defendere sa-  
tagit, pro ut habent verba *Impp. in l. 14. C. de advoc. di-  
vers. judic.* Cumque obligatio ad actionem se habe-  
at, tanquam causa ad effectum & mater ad filiam,  
quarum hæc dependet ab illa, illaque huic vim & ef-  
ficaciam impertit suam. Et verò causa præcedere  
debeat effectum. *l. incivilem C. de furt.* semperque  
aliud quid sit ab effectu *Fonsec. s. Metaph. c. 2. q. 7. se. 1.*  
Ideo ne cum *Accurs. in §. fin. l. de just. & Nic. Angel.  
Ricciard.* contra mentem & intentionem Justiniani  
hosce diversos juris articulos sub unum objectum  
retulisse videar, actionum materia hac vicè seposita  
tantùm de Obligatione non exactam quidem &

A 2

omni-

omnibus numeris absolutam, sed brevem tantum, & vestigiis Justiniani unice inhærentem disceptationum virium ingenii periclitandarum gratia chartæ committere, eandemque Dnn. Collegarum disquisitioni subjicere satagens hunc ordinem in conscribendo servabo. *Ut Definitioni & Divisioni subjiciam Efficientem Finem, Effectus, Subjectum Recipiens & Occupans, Adjuncta & denique Contraria seu modos præcipuos quibus obligatio solvitur.* Quod feliciter ut procedat DEUS benigne adesse mihi velit.

### *Thesis. I.*

Obligatio est juris vinculum quo necessitate alicujus rei solvendæ astringimur, secundum nostræ civitatis jura; *in pr. J. de obligat.* Quæ definitio ut rectè explicetur perpendum venit tum definitum, tum definitio ipsa, Definitum cujus notatio omnibus patet: Significata vero illius, quæ varia sunt, maxima ex parte congressit *Modest. in l. 52. de O. & A. ubi Gp. & alii Dd Ego memor illius, quod verba in potiori significatu sint accipienda l. 1. §. qui in perpetuum ad d. gl. verb. directo ff. si ager vedig. pet. Everh in top. loc. à subjecta mater. n. 19.* hanc definitionem ad alias scriptas obligationum species non pertinere firmiter statuo, præterquam ad eas, quæ ex facto & consensu partium proveniunt, & aut ex ll. sunt constitutæ aut certo jure civili sunt approbatæ, pro ut ait Justinian. in §. 1. *I. de Oblig.* ita ut vel effectum actionis vel exceptionis, compensationis, &c. sortiantur, *Consentit. gl. & Dd. communiter in pr. I. de Oblig. & in l. 7. §. 4. ff. de pact. l. 38. de condict. in deb. l. 1. de vocat. Wesemb. x. de O. & A. n. 6. Schn. I. d. t. de Obl. in pr. n. 6 & seq. Heig. J. eod. n. 2. & 3. Donell. lib. 12. com. 1.*

Definitio cum ex genere & differentia constare debeat, ut post Logicos declarat *Barthol. in l. 1. n. 2. ff. de testam. & Everh.*

Everh. in top. loc. à definit. n. 3. videndum an etiam hæc nostra  
alia requisita habeat, Dicit Imperat. Obligatio est vin-  
culum, rectè hoc generis loco positum cum secundum  
l. 59. de condict. indeb. omnis obligatio unicum, non vero  
contra omne vinculum obligatio & benè appositum est  
vocabulum juris id est ut obligatio sit vinculum incorpo-  
rale, seu vinciens & ligans, per illam enim unus alter alteri  
obligatur, & astringitur ad præstandum id, quod in con-  
tractum deductum est, Schn. ad pr. I. de Obl. n. 16. Addita  
sunt in definitione etiam & quidem differentia specificæ  
loco, hæc verba, quo necessitate astringimur alicujus rei  
solvendæ, quæ ad ipsam obligationis substantiam finem  
& effectum pertinent cum ut dicitur in l. 3. ff. de O. & A. ob-  
ligationis substantia non in eo consistat, ut aliquod corpus  
nostrum faciat, sed alium obstringat ad dandum, facien-  
dum vel præstandum aliquid. Unde videre licet differen-  
tiam obligationis & acquisitionis: hujus finis & usus est,  
ut aliquid nostrum fiat; illius est, ut aliquem ad dandum vel  
faciendum adstringat, non enim nuda obligatio domi-  
nium transfert, ut d. l. 3. dictum est & patet ex l. 20. C. de pactis.  
Schn. d. l. n. 19. Giph. ad. t. d. I. de Oblig. Deinde verba se-  
cundum nostræ civitatis jura minimè otiosa aut minus ne-  
cessaria sunt, in definitione hac; uti quidem nonnulli vo-  
lunt inter quos Giph. d. t. & Vultejus. Sed hoc sibi volunt, ut  
solutio rei, quæ in obligatione versatur, non valeat, nisi fiat  
secundum constitutas formas, scilicet naturam actionis, &  
à jure civili introductas, neq; non astringi quibusvis modis,  
sed jure probatis, nec quavis necessitate sed civili, non vi  
extorqueatur, sed judicio, Hill. Donell. lib. 12. com. 1. l. f. nec  
enim propria autoritate, id quod sibi deberi quis putat,  
sed legitimis actionibus persequi tenetur l. 13. ff. quod met.  
caus. Schn. Heig. d. t. ad pr. ut & Hot. Thada. pis. Borch. eod. n. 4. Vi-  
gel. in com. de Oblig. c. 1.

### III.

Est autem obligatio aut naturalis aut civilis, quemad-  
modum enim jus quod auctoritatem præstat obligat aliud

A 3

na-

naturale, aliud civile est, ita necessitas solvendi atque ipsa obligatio duplex est: naturalis scilicet & civilis. Quamvis enim Coras. *in repet. l. frater. à fratre ff. de condict. indeb.* referat, quosdam obligationem tantum unicam, nimirum naturalem tantum statuisse, Civilem vero non substantiam, sed qualitatem qualificantem naturalem reputasse: Tamen horum sententia jamdudum reprobata & explosa est, Refelluntur enim *per textum in l. 16. §. 3. ff. de fidej. gl. & Dd. comm. in l. 5. verb. obligationes de just. & j. quos sequitur Schn. I d. I. n. 26. tum etiam per l. 8. gracè §. 5. post. 3. d. t. d. fidej. & l. 1. §. 1. in fin. de Novat.* Deinde stant horum opinione, sequeretur civile obligationem à naturali separatam esse & per se subsistere non posse, ratio quia qualitas sine subiecto esse nequit. *l. 2. de usuf.* at posse eam extra naturalem esse patet ex obligatione literarum, E converso quidam extiterunt qui naturalem obligationem improprie obligationem dixerunt, eo, quod ex illa nemo adstringatur necessitate solvendi, *arg. l. in vendentis C. de contrab. empt.* Quod quidem verum est, si necessitatem civilem intellexerimus, non verò si naturalem, quia, qui adstrictus est vinculo juris naturalis, ut ex æquitate naturali, id quod debet solvat, tenetur, *arg. l. 1. de pact. l. cum amplius §. fin. ff. de R. I. ubi verbum oportet necessitatem inducit, secundum materiam subiectam. Vult. in pr. l. de Obl. n. 25. Donnell. lib. 12. Comm. 1. l. E. vers. si maximè ibiq. Hill & cap. 2. lit. c.*

IV.

Naturalis nominatur, quæ solo æquitatis vinculo continetur, ut est *in l. 95. §. naturalis. ff. de solut. & habet causam ex naturali ratione l. 1. §. si id quod §. de O. & A. quia jus naturæ semper æquum & bonum l. pen. in pr. de just. & jur.* Approbatur verò hæc naturalis obligatio à jure civili vel *ἀποδῶς* vel *κατὰ τὴν*. ἘΠΛΩΣ quatenus habet actionem, seu effectum obligationis summum qualis scilicet ex illis contractibus oritur, qui ex jure gentium originem suam habere dicuntur. *l. 5. ff. de j. & j. §. 2. vers. ex hoc jure. l. eod. KATA' TI' approbatæ habent alios civiles effectus præter actionem ut puta Soluti repetitionem l. 19. si poena in pr. l. si non sortem 26. §. libertus 12. de condict. indeb. l. naturales. 10. de O. & A. Exceptio-*  
nem



nem l. jurig. 7. §. sed cum 4. de pact. Compensationem l. etiam  
quod 6. de Comp. Fidejussionem l. stipulatus 6. §. fin. de fidejuss.  
Constitutum. l. 1. §. 7. de constit. per pignus l. questum. 14. §. fin.  
de pignor. & hypoth. & novationem l. 1. de novat. Et hæc obli-  
gatio naturalis tali modo à jure civili approbata à Donello  
justa indigitatur lib. 12. comm. 4. appellaturq; aliàs mixta seu  
civilis & naturalis simul. Continetur quoque sub  
definitione supra thes. 1. positæ, tanquam species  
sub genere §. 1. ibi. aut certo jure civili approbata. In. de  
Oblig. Præter hæc obligationes naturales approbatas  
aliquoties quoque in jure nostro civili fit mentio non ap-  
probatarum obligationum, quarum quædam sunt libera  
relictæ, quædam reprobata: Libera relictæ naturalis obli-  
gationis exemplum habemus in obligatione ad *ἀνθρώπους*.  
hæc enim à jure civili ita libera est relictæ, ut nullos omnino  
effectus habeat, ne quidem retentionem per errorem solu-  
ti, sed tale debitum etiam quocumque errore solutum repe-  
titur. *Schneid. I. de Oblig. verb. de naturali oblig. n. 4. qui sequi-  
tur Bart. ad l. ex hoc jure 5. de J. & J. & sic etiam, quod condi-  
tionem indebiti non impedire valeat, statuit. Donell. lib. 12.  
comm. 2. Treut. 1. disp. 22. th. 9. & ibi Bach. 8. 6. lit. d. & ad disp. 6. 8. 6.  
l. a. Dn. Riem decad. 3. q. 8. Bocer. clas. 2. disp. 1. th. 17. Wesenb. π n. 5.  
de O. & A. Duaren ad eod. tit. c. 2.* Reprobata obligatio in  
eo consistit, quando scilicet lex civilis expressè conventio-  
ni contrahentium resistit id est, inquit *Schneid. J. d. t. & l. n. 13.*  
prohibet actum seu contractum fieri, & sic neque naturalis  
neque civilis obligatio oritur. Exemplum hujus sunt in  
prodigo, pupillo, minore & aliis &c. Prodigus n. ante in-  
terdictionem quod obligetur, nemo ferè est qui negat, jam  
quando ipsi bonis interdictum, illum contrahendo neque  
naturaliter neque civiliter obligari posse nisi quatenus sibi  
acquirat, satis insinuat, l. 6. de V. Obl. Nec quicquam facit  
quod dicitur in §. 3. l. de leg. agn. tut. civilia jura quidem à  
civilis ratione corrumpi posse naturalia non utique. Licet  
enim lex non possit, & sic impedire consensum, nihilomi-  
nus tamen quit remove effectus obligationis naturalis.  
ut *Schneid. d. l. & n. post. Jaso. in l. 26. de Condict.* voluit enim  
lex

lex vel jus civile ex utilitate publica ne quis sua re malè utatur §. 2. in fin. I. de his qui sunt. su. vel al. jur. Et talis reprobata & libera relicta obligatio naturalis quin non contineatur sub definitione supra posita, adeoque hoc loco aliena sit nemini non potest esse manifestum ex d. §. 1. ibi aut constituta aut comprobata J. de oblig.

V.

Civilis obligatio est, quæ ex jure civili oritur Wesemb. π. de O. & A. n. 5. secundum gl. in l. 5. de j. & jur. & ad differentiam cæterarum obligationum civilis nuda Donell. 12. com. 3. in pr. & merè civilis vulgò appellatur, Hill. D. d. l. lit. a. Glosograp. in l. Julianus 60. de condict. indeb. quemadmodum enim proprium jus à communi se jungitur §. 1. I. de I. N. G. & C. l. 6. ff. de just. & jur. Sic etiam ex eodem proveniens oblig. Riem. de 9 q. 2. Sunt autem ferè nulli effectus hujus obligationis l. 112. de R. I. licet enim actionem pariat tamen per exceptionem postea eliditur §. idem jur. 3. I. de except. ubi exemplum habemus in Obligatione literarum quæ propter auctoritatem legis civilis oritur, dum per solennem literatum obligationem & chirographi alicujus traditionem jus civile illum vult teneri, unde etiam civiliter obligatur, ut creditori contra scribentem actio competat; At tamen ex actionem habere non potest, quia ipsi creditori exigenti exceptio numeratæ pecuniæ opponitur, quod patet ex tot. t. J. liter. oblig. & tot. t. C. de non numer. pecun. §. 1. J. de except. Schmid. ad tit. de lit. oblig. n. 9. 10. & seq.

VI.

Efficiens causa propinqua obligationis est, primò vel contractus §. fin. I. de Oblig. l. 1. de O. & A. Contrahuntur verò aliquando consensu solo qui est vel verus vel præsumtus, Wesemb. π. d. t. de O. & A. n. 7. Hill. Donell. lib. 15. comm. 14. lit. b. Gædd. ad l. 12. n. 7. de V. Signif. Harp. ad §. fin. I. de Oblig. n. 2. Vult. in pr. I. de Oblig. quæ ex quas. contract. n. 5. Verus uti in contractibus propriè ita dictis intervenit & cum facto tum etiam verbo & nutu l. 52. §. 9. de O. & A. declarari & exprimi potest, Dn. Riem. I. de contract. 7. §. 33. n. 1. & 2. ita præsumtus in quasi contractibus plærumquæ intervenit, prout rectè statuere

ere

ere videntur Dd. jam allegat: Aliquando consensu. cum re  
verbis & literis §. fin. J. de Oblig. Gaj. in pr. I. de Oblig. lib. 2. tit. 9.  
l. 1. pr. & §. seqq. de O. & A. quin enim & in his consensus ad-  
esse debeat & semper in omnibus desideretur, patet ex l. 1. §.  
3. de pactis. Riem. 1. de Contract. 8. per tot Ut vero consensus le-  
gitimus sit requiritur in consentiente S C I E N T I A. l. 2. in  
pr. de Judic. qua scit vel scire debet quid agatur. l. 38. in f. de ac-  
quir. & amitt. hered. l. 5. fin. de R. Cred. l. 48. de fidejuss. l. pen. ff. ad  
SCT. Maced. ET VOLUNTAS l. 5. C. de O. & A. l. 17. §. 3.  
Commo. l. 36. fin. de jud. l. 31. de O. & A. l. 12 fin. de contrah. emtion.  
Quicquid igitur contrariatur S C I E N T I A E obstat quoq; con-  
sensui & inde contractui dependenti, eosque impedit. Uti  
sunt primò E R R O R l. 2. de jud. l. 15. de jurisdic. siue sit circa  
personam secundum dd. ll. & l. 9. quoties. de hered. instit. siue circa  
rem promissam l. si inter stipulantem 83. §. 1. l. 137. continuus §. 1.  
de V. O. quamvis enim errans factum sciat, tamen in quali-  
tate vel quodam alio errat siue qualitatem ignorat, Höck-  
elshov. lib. 1. phil. pract. c. 8. Ideoque dum aliud pro alio putat  
scientiam veram habere nequit, multo minus pro consen-  
tienti haberi potest, l. 116. §. 2. de R. I. Siquidem error iste  
dissentum arguit & non valet propter illum id quod actum  
est. dd. ll. de quo etiam Hillig. lib. 12. comm. 7. & quos ibi alleg.  
Zaf. ad l. 31. §. 1. de R. cred. n. 14. Pac. cent. 1. q. 59. Gædd. de contrah.  
stip. c. 3. n. 7. & 8. Dn. D. Riem. I. de contract. 5. §. 25. 26. & seqq.  
Secundò I G N O R A N T I A P R O B A B I L I S, cum non du-  
bium sit illam scientiæ contrariam esse, prout apparet ex l.  
13. sed si de contr. emt. de qualatius tractant Donell. lib. 1. comm.  
18. 19. & seq. Wesemb. π. t. t. de jur. & fact. ignorant. & in terminis  
nostris appositè Dn. D. Riem. d. c. 5. §. 14. per tot. Dixi quoque ut  
consensus legitimus sit, necessariam esse etiam voluntatem  
unde rectè ait l. non solum 31. de O. & A. quod voluntas contra-  
hentium sit spectanda: Illa v. voluntas debet esse libera, h. e.  
neq; V I, neq; M E T U, neq; D O L O extorta, Deinde hæc volun-  
tas modo civili arg. l. si suj. 9. de Servit. accipienda, cum haud  
omnis voluntas sufficiens sit, nisi quæ jure civili probatur,  
prout videre licet, in prodigo, filiof. mutuam pecuniam  
rècipiente, muliere intercedente & similibus, quorum à ju-  
re civili voluntas reprobata & sic in contractibus infirma

B

&

34.

& nulla est, per l. 40. de R. J. Dn. D. Riemer. 1. de contract. 6. §. 29.  
num. 4.

Quod igitur jam attinet ad voluntatem Vi extortam, dico, si Vi atrocis l. 3. §. 1. quod metus caus. impulsus quis fuit vendere, vel tradere, rem contractum nullum esse, seu non valere, cum illa vis voluntati contraria l. 1. d. t. & nulla omnino in ejusmodi casu voluntas sis, quia repelli non potuit. l. 2. d. t. Aliter v. res se habet in illa voluntate, quæ Metu cooperante oritur, illa enim quæ metu facta jure quidem valent, cum is, qui metu contrahit, non vi absolutâ & præcisa uti in priori specie jam dictum, cogatur, sed voluntate quidem coacta, nihilominus tamen vera, instigatur; quippe qui coactus voluit l. 21. §. 5. quod met. caus. & ex duobus malis quod minimum est elegit, mavultq; contrahere quam interfici. Arist lib. 3. Eth. 1. ideo contractus metu factus, jure civili, quasi consensu initus, valet, Wesemb. π. in pr. d. t. Verum postea per restitutionem potest rescindi l. 9. §. 3. d. t. cum Prætor dicat, tales contractus se ratum non habiturum d. l. 9. & l. 1. h. t. Riem. 1. Cont. d. c. 6. §. 30. n. 7.

Porro quemadmodum vis adversatur voluntati; ita etiam Dolus: Siquidem vis aperta est, dolus occultè per simulationem idem molitur Donell lib. 15. capit. 40. in pr. Quatenus vero contractus dolo initus valeat, vel non valeat, inter Dd. admodum controversum video? Communiter tamen huic dubio adhibitâ duplici distinctione occurri solet: Ut primò distinguatur inter judicia bonæ fidei & stricti juris: Deinde inter dolum causam contractui dantem & incidentem. Dolus incidens, sive bonæ fidei sive stricti juris sit, contractum non facit nullum, sed valet utique talis ipso jure; per exceptionem verò doli succurritur circumvento ut ext. t. de except. dol. mal. & met. At vero dolus qui causam dat bonæ fidei contractui, eum ipso jure reddit nullum per l. 7. de dol. mal. l. 3. §. fin. pro soc. l. in causa 16. §. item. de minorib. l. 3. de rescindend. Vend. Secus vero si causam dederit Contractibus stricti juris; hos enim ipso jure subsistere, sed per exceptionem doli sicut de incidente dictum est, corrigi, non obscure insinuat §. 1. I. de except. l. 36. l. 22. de V. Ob. l. pen. C. de

de inutil. stip. ubi ubique de contractibus stricti juris exempla habentur, probant alias pluribus hanc sententiam, *Donell. lib. 12. comm. 7. lit. d. ibi. Hill. Trent. 1. disp. 28. d. 2. l. f. Gail. 2. ob. 2. n. 6. Schn. I. de act. §. actionum 28. n. 24. Vult. 2. Rom. jur. 4. n. 88. Gæd. d. de contrah. stipul. c. 3. n. 114. 115. & seqq. Bronch. cent. 1. ass. 38. (antiq. edit.) Harp. ad §. d. 28. I. de action. n. 14. Mynsing. ad eundem §. n. 11. Hæn. disp. 22. d. 7. Dn. D. Riem. Coll. d. 9. & in 1. de contr. §. 30. n. 18. & seq. ac alii.*

## VII.

Secundo vel quasi contractus *d. §. fin. §. de Obl. & d. l. 1. de O. & A.* æquè enim ex quasi contractibus ac ex contractibus propriè sic dictis obligationes oriuntur. Sed quasi hi contractus non expresso & aperto uti paulo antea dictum, sed tacito & præsumto consensu fiunt, cum leges neminem tam stultum esse præsumentes, qui etiam absens & ignorans non velit conditionem suam meliorem fieri, prout in *§. 1. l. de Obligat. quæ ex q. contract. oriuntur*, notatur, interim pro una parte consentiant, & sic efficiant, ut quis ignorans aliquando & invitus obligetur, idque dicit Imperator *§. 1. l. d. t. utilitatis causa receptum esse*, ne scilicet absentium negotia deserantur, quæ alias nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem quo facit etiam *l. 5. vers. ideo de O. & A.* Hæc utilitas, in quam facit, ut etiam deficiente consensu vero & expresso alter alteri perinde, ut in veris contractibus obligetur. Cum non tam consensus, quam res seu utilitas ad aliquem perveniens hisce in contractibus inspiciatur, ut est in *l. 32. sic cert. petat. l. 23. d. t. l. 46. de O. & A.* & natura æquum sit, neminem cum alterius damno fieri locupletiores *l. 13. de condict. indeb.*

## VIII.

Tertiò maleficium, *d. §. fin. §. de Oblig. & in pr. §. de Obl. quæ ex q. delict. l. 4. de O. & A.* quod est factum omne, quo nocetur detrahiturque quid alteri *Donell. 15. com. cap. 22. lib. in fin.* An verò cum facto illo & maleficio consensus utriusque semper

B 2

&

34.

& ubique concurrat, adeoque delinquens mediante de-  
mum consensu ad poenam obligetur variè huic inde disce-  
ptatur inter Dd? Facio cum illis qui non fictum sed verum  
consensum subesse putant; cum ille qui mavult, revera ha-  
bere voluntatem habere necesse sit, *l. 22. de R. Nupt.* De-  
linquens autem mavult severitate seu poena coërceri ut est  
*in l. 5. C. de collat. fund. pat.* E. verè ipsum consensisse dici  
potest, *Gilken de prescript. p. 1. c. 5. n. 15.* Scit enim juris autho-  
ritatem, & sic non ignotat, se contra placida juris commit-  
tere, neque etiam poenam incognitam habet, jam itaque  
ubi factum adscientiam accedit, voluntas abesse haud po-  
terit, qui que in causam consentit is etiam in effectum con-  
sentire viderur; Ubi ergo consensus alicujus in rem ali-  
quam, ibi rectè id quod ex ea evenit, ipsa ex mente & vo-  
luntate dici potest quin fiat, pro ut etiam *l. ult. C. ad l. jul. ma-  
jest.* sua mente delinquens puniri & ipsemet se poenae subdi-  
disse *l. 34 de jur. fisc.* dicitur. Consequenter igitur negari  
non potest, consensum in delinquentibus adesse, ex quo  
vera obligatio criminalis oritur, non quidam civilis tan-  
tum, uti volunt plurimi relati à *Vasqu. illust. Contr. lib. 2. c. 55.  
n. 1. in fin. Gædd. ad pr. l. 6. n. 7 de V. S. Silk. de prescript. p. 1. c. 5. n. 2.*  
Neque naturalis tantum, prout multi indistinctè putant  
quos congeffit *Gilken. d. c. 5. n. 5. seqq.* Sed pro diversitate  
delictorum modo civilis, modo merè naturalis, modo na-  
turalis approbata. Si enim delictum jure civili tantum  
prohibitum, inde descendens obligatio procul dubio erit  
civilis, exempla suppeditat *§. 1. fm. 1. de nupt. juncta. l. 12. §. fm.  
l. 14. pr. l. 55. de R. Nupt. l. unic. C. si quis eam cui. tut. fu l. 26. §. fm. C.  
de nupt. l. 42. de V. S.* Si verò ex jure naturæ mero descendat  
delictum obligatio quoque inde promanans merè natura-  
lis erit, cujus exempla sunt obvia in ebrietate, avaritia, in  
hospitalitate, & actionibus cogitationum internarum.  
Quod si verò peccatur, contra jus natura approbatum, uti  
fit in furto, adulterio, homicidio, parricidio, blasphemia  
&c. inde quidem oritur obligatio naturalis, verum non  
tantum; sed quæ etiam ex autoritate juris civilis ne-  
cessitatem sibi annexam habet, prout eleganter docet  
&

& hæc omnia fundamentaliter deducit *Dn. D. Riem. dec. 12*  
*q. 1.*

IX.

Quartò quasi maleficium. *dd. §. I. de Ob. & Oblig. qua ex q. del. l. 5. & §. 5. & 6. de O. & A.* quod est factum maleficio finitimum & ultima causa obligationum, quemadmodum igitur aliàs dictio quasi in jure nostro semper aliquam improprietatem denotat, ita etiam hoc loco delicta seu maleficia q. appellantur, quia non ex meditata malitia seu dolo proficiscuntur, & tamen propter negligentiam, Imperitiam &c. culpæ reprehensionem merentur, pro ut patet ex speciebus *d. t. de Oblig. qua ex q. delict.* Judex enim eo ipso quod officium acceptat, videtur se asserere peritum & sufficientem, & ideo postea, si per ignorantiam seu imperitiam malè judicaverit, adeoque litem suam fecerit, cum imperitia culpæ annumeretur *l. 132. de R. I.* ex culpa tenetur & quasi maleficio obligatur. Idem est in eo qui inquilinum hominem impurum & incircumspectum in domum suam recipit; si enim talis inquilinus non prospiciens in prætereuntes aliquid projicit seu effundit, quamvis Dominus ædium sit extra noxam, tamen quia ipsi prospiciendum erat, ut circumspectos & sobrios habeat hospites vel inquilinos; pro damno per effusionem dato q. ex maleficio tenetur & obligatur *arg. §. 2. l. de oblig. qua ex q. del. d. l. 5. §. 5. de O. & A. & sic ulterius*: Hæc vè de causa efficiente obligat: propinqua pro ratione instituti mei vestigiis Justiniani insistendo breviter adduxisse sufficiat.

X.

Finis seu finalis causa obligationis est ut aliquid solvatur vel præstetur, pro ut scitè loquitur *Justus Paulus in l. 3. de O. & A.* Cum dicit; omnium obligationum substantia non in eo consistit ut aliquod corpus nostrum vel servitutem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid vel faciendum vel præstandum. Unde etiam in definitione supra *l. 1.* posita rectè dicitur, quod per vinculum

B 3

juris

34.



juris, necessitate ad solvendum astringamur, & sic mediante  
 illa præstatione vel solutione quod nostra interest acqui-  
 ramus l. 2. l. 38. §. alteri de V. Obl. Ipsum verò dominium per  
 obligationem nobis principaliter non acquiritur, cum per  
 d. l. 3. obligationis substantia non in eo, ut corpus nostrum  
 faciat, consistere, sed in obstrictione ad dandum facien-  
 dum vè versari constet; Cujus rei exemplum evidens est in  
 contractu emtionis-venditionis. Quamvis enim contra-  
 ctus per conventionem pretii statim sit perfectus. pr. f. de  
 emt vendit. tamen eodem momento emtor simul dominium  
 non consequitur, §. 3. d. t. cum is qui vendidit, non necesse  
 habeat dominium emtoris facere. l. 25. §. fin. de contr. emt. Sed  
 sufficit rem habere licere sine interpellatione l. 30. in fin. de  
 act. emt. l. 8. de evict. Quod si itaque venditor qui rem tra-  
 dit dominus est, per traditionem demum in emtorem do-  
 minium transit, §. per traditionem 41. f. de R. D. & A. l. traditio  
 20. ff. de acq. rer. do. l. 11. §. 2. de act. emt. Si verò dominus non  
 est, tantum usucapiendi conditionem in emtorem trans-  
 fert t. t. ff. pro emt. l. 54. l. 56. §. 3. l. 63. in fin. de evict. Ut demum  
 per usucapionem emtor dominum rei emtæ consequatur,  
 per dd. ll.

## XI.

Effectum obligationis dupliciter considerari potest: Aut  
 enim generale est, quod omnibus obligationibus tam natura-  
 libus quam civilibus competit, estque præstationis necessi-  
 tas: Quælibet enim obligatio suo modo necessitam præ-  
 standi continet, prout supra in thes. dictum & de naturali  
 probatum ex l. 84. de R. I. quæ ait, illum natura debere, quem  
 jure gentium dare oportet: Aut, speciale, quod diversimo-  
 dum est, aliud n. est obligationis perfecta; aliud imperfecta. Hujus  
 sunt soluti reeentio, compensatio, fidejussio, pignus, novatio, de quibus  
 dictum aliquid supra §. 4. & pluribus de iisdem agit Donell. En. lib.  
 12. comment. cap. 2. post l. p. ubi hos effectus enumeratos in principales  
 & accessorios dividit. Illius verò est vel primum, quod est  
 actio, quemadmodum enim inter matrem & filiam non  
 datur intermedia persona ita etiam hic inter obligationem  
 &



& actionem nihil intermedii est, siquidem obligatio mater actionum vocatur per *gl. in l. licet. 42. de procurat.* & actio filia seu partus obligationis nuncupatur à *gloss. in pr. l. de act.* Talis autem actio quam parit obligatio, personalis est, ita enim ait *Justinian. in §. 1. l. d. r. de act.* Si quis cum eo agit, qui ipsi obligatus sit vel ex contractu vel maleficio, eo casu actiones in personam proditæ sunt, per quas intendit adversarius ei dare aut facere oportere: Si quis verò cum eo agit, qui ipsi obligatus non est, competit ei actio in rem, quæ non ex obligatione, sed ex Domino descendit *l. 23. de R. Vind. VEL ex primo ortum, quod est exactio, quæ ex actione descendit. l. un. §. 7. C. de act. rei uxor.* & actionis executio adeoque nobilissimum illius effectum est.

## XII.

Subiectum Obligation. est vel recipiens vel occupans. Recipiens est *Creditor & Debitor*: cum itaque credendi appellatio generalis sit & credere dicamur, cuicumque rei adsentimur alienam fidem secuti, quod ait *Ulpian. in l. 1. ff. de Reb cred. non tantum in mutuo, commodato, deposito, pignore, d. l. 1. sed generaliter ex quacumque causa aliquid alicui debeat* *l. 11. de V. S. sive ex re, verbis, literis seu consensu, sive negotio sive facto, sive qualibet alia causa oblig. contracta sit. d. l. 11. cum seq. 12. d. t. ibiq. Gædd.* Inde evidenter apparet quod etiam creditoris loco veniat is cui ex delicto debetur *d. l. 12. cum in his obligationibus fides crediti, si non ex conventionem aut voluntate, tamen ex necessitate & ipso facto insit & damnum datum delinquens resarcire tenetur.* Quicumque igitur firmiter credere & debere possunt, nomen creditoris & debitoris merentur, adeoque subiectum recipiens obligationis dicuntur, Multi vero credere vel debere impediuntur: Et quidem primò nonnulli propter defectum consensus, quales sunt furiosi, mente capti, *l. 40. de R. I. & l. 1. §. 12 de O & A. §. 8. l. de inutil stipul. l. 25. C. de nupt. §. 4. l. de Curat. Infantes, l. 5. de R. I. & §. 10. f. d. t.* Unde hæ personæ contrahendo obligari non possunt, ne quidem tutoris autoritate interveniente, *d. l. 5. cum non habeant*

34.

beant intellectum vel sensum *dd. ll. & l. 22. §. 7. Solut. matrim.*  
*& c. multominus consensum l. 2. C. de contrab. empr. l. 16. §. fin. l.*  
*45. §. 5. de R. Nupt.* Secus verò est, si ex re veniat actio; illam  
enim etiam furiosum & infantem constringere posse; patet  
*ex l. 46. de O. & A. & aliis textib quos allegat Dn. D. Riem. 1. de contr.*  
*10. §. 42. n. 11.* Quid verò in ebrio statuendum? Sane cum  
consentire non possit, quod tamen de necessitate in con-  
tractibus requiritur, *per l. 1. §. 3. de pact. l. 55. & 57. de O. & A.*  
quomodo concurrere ex utraque parte contrahentium af-  
fectus potest *d l. 55.* si alterutra pars ita inebriata, ut omni  
ratione carere videatur, & neque pes, neque mens suum sa-  
tis officium facere queant; Unde comm. Interpretes jure  
furiosi censent ebrium *Mascard. de probat. concl. 580. n. 3. Me-*  
*noch. lib. 2. arb. jud. cas. 326. n. 1. fol. 447. Gædd. c. 7. de cont. stip. n.*  
*166. & alii.* Illumq; si delictum commiserit, clementius pun-  
niendum esse velint, *per l. omne delictum. 6. §. 7. ff. de re milit. l. 11.*  
*§. delinquent. de pœnis.* Cum per ebriotatem ignorans deli-  
querit, *arg. c. 7. caus. 15. q. 1. & ebrius, corpus non consentien-*  
*zis vocetur, cumq; corpore dormientis conteratur. c. si con-*  
*cupiscentia. 8. 15. q. 1.* quemadmodum ergò furiosus nihil age-  
re, neq; consentire, & consequenter neq; obligari potest,  
*per dd. ll.* ita nec summè ebrius, qui quid faciat, quidvè lo-  
quatur, nescit, nec consentire, nec contrahere, nec obligati  
posse rationi juris & communi Dd. sententiæ consentane-  
um esse puto, cū iis quos prolixè allegat *Dn. D. Riem. d. c. 10. §.*  
*42. n. 36. & seqq.* De mutis & surdis non minore est disceptio  
inter Dd. an credere & debere exindeq; obligari possint?  
Qua in re puto distinguendum esse inter eū, qui mutus & sur-  
dus simul est, & eum in quo vitium hoc est discretum, ita ut  
vel mutus tantum vel surdus tantum sit *per l. discreta. 10. C.*  
*qui test. poss. fac.* Qui mutus & surdus simul est & quidem  
à natura; cum iudicio carere dicatur *l. 12. §. 2. vers. natura. de*  
*judic. neque testari possit. l. 10. C. qui test. fac. pos.* contrahendo  
quoque se obligare nequit *arg. t. t. I. de L. Fus. Can. toll.* Quip-  
pe qui nullis signis sensa animi prodere potest, nihilque  
intelligit, *Gomez. Var. resol. 1. c. 6. n. 5.* adeoque furioso similis  
esse

esse scribitur à Barthol. ad l. 1. n. 9. de V. O. & infanti Bertach. in  
verb. mutus. n. 24. arg. l. servo in vito in f ubi Br. & comm. Dd. ff. ad  
SCT. Treb. Farin. qua. crim. 98. caus. 17. n. 159. Quod si tamen  
aliquid intelligat & indubitatis signis mentem suam prome-  
re possit, à contrahendo & obligando removeri non de-  
beret Gomet. d. c. 6. n. 5. optimè Dn. D. Riem. 1. contr. 10. §. 42. n. 66.  
67. & 68.

Qui verò ex accidente & post facto talis est, quod variis  
casibus contingere posse, Justinianus ait in §. item surdus. 3. I.  
quib non est perm. fac. test. procul dubio subjectum obliga-  
tionis esse poterit: arg. d. §. 3. & d. l. 10. C. qui test fac. pos. jun-  
ctot. e. f. de L. Fus. C. tol. ut pote qui per scripturam & alios mo-  
dos mentem explicare, ac contractum inire valet, Dn. D.  
Riem. d. §. 42. n. 69. Secus tamen esset, si etiam talis nihil in-  
telligeret, pro ut probè animadvertit Gometz. 2. Var. res. 4.  
n. 29. circ. med. Haecenus de mutuo & surdo simul: quod  
si itaque vel mutus tantum vel surdus tantum discretim  
considerentur, nullibi prohibentur contrahere & sese obli-  
gare, vel solo nutu, vel traditione & aliis factis l. 52. §. fin. d.  
O. & A. Vinc. Honde: vol. 1. consult. 37. n. 16. 17. & 18. Riem. d. §. 42.  
n. 70. & seqq. Secundò impediuntur, quo ad se & suam  
personam, credere & debere illi, qui bonorum suorum li-  
beram administrationem non habent uti sunt. I. PRODIGO.  
Hi enim cum furioso comparantur in eo, quod neuter vo-  
luntatem habeat, l. 40. de R. I. unde & instar furiosi nec tra-  
dendo nec promittendo obligatur, l. 6. de V. O. junctā l. 12. §.  
ult. de curat. dat. ab his, qui. ne naturaliter quidem. per. l. is cui 6.  
de V. Ob. l. 70. §. 4. pr. de fidei. Dn. D. Arum. exerc. 12. q. 7. lit. b. Dn.  
D. Riem. d. 9. q. 2. Alios tamen sibi obligare possunt d. l. 6. de  
V. O. quemadmodum etiam in delictis eisdem civiliter  
quoq; obligari rectè statuit Clar. lib. 5. §. fin. q. 60. n. 11. pr. arg.  
l. 11. pr. de R. f. l. 23. de furt. l. 7. C. de poen. Dn. D. Riemer. d. dec.  
9. q. 5

Verum quis pro prodigo habendus sit inter omnes non  
constare video: quidam enim volunt eum prodigum esse  
cui ipsa legē vel jure bonis interdicitur, per l. 18. Qui test fac.  
per. l. 1. de curat. furios. Quidam autem eum pro prodigo ha-

C

bent

bent cui insuper Magistratus sententia vel decreto bonis  
interdictū est, per l. 12. de tut. & Curat. d. l. 1. de Curat. fur. l. 10. 15.  
l. 16. eod. l. 3. C. de in in integr. rest. l. 27. de minorib. Quod po-  
sterius etiam mihi verius esse videtur; Quamvis enim mo-  
ribus adeoq; revera quis prodigus sit, tamen ut ei bono-  
rum administratione interdicitur causæ cognitione opus  
est, quo innotescat an vera an falsa interdictionis causa ne-  
mini enim absque cognitione causæ bonorum suorum ad-  
ministratio auferenda, ut est in l. 2. de his qui sunt. sui vel alien.  
jur. Unde certissimum est, ut licet notorium sit aliquem  
prodigum esse, tamen ante sententiam iudicis admini-  
stratio ei non auferatur Vigl. ad §. item prodigus. 2. I. quib. non  
est permis. fac. test. quam sententiam alias tenentur quoque  
Cujac. ad l. 6. de V. O. Wesemb. ad d. §. d. t. Mynsing. §. 3. I. de Curat.  
Hackelm. illust. qq. dis. 15. §. 16. l. c. Treut. 1. disp. 6. §. 5. l. d. & i. disp. 20.  
§. 9. lit. b. Bach. ad disp. 6. d. §. 5. vol. 1. Hanon. disp. 3. §. 14. Forst. 1.  
disp. 5. q. 3. Vult. §. 1. n. 5. I. Quib. non est perm. fac. test. Gædd. de  
Contr. stip. c. 7. concl. 10 n. 141. & seq. Heig. ad §. 3. l. de Curat. Opti-  
mè Hillig. Don. lib. 12. comm. 22. lit. f. Dn. D. Riemer d. 3. q. 10. & alii.  
II. PUPILLI sine tutoris autoritate scilicet non obligan-  
tur, neque de jure civili l. obligari 43. de O. & A. l. 189. de R. I.  
neque de jure naturali l. pupillus 59. de O. & A. l. 41. de condict.  
indeb. imò planè non obligantur l. 1. in fin. Comm. l. 1. §. 2. de  
Const. pec. §. 2. I. quib. alien. li. vel non. principium enim est fir-  
missimum, quod ad obligationem pertineat plenus con-  
sensus ut sæpius dictum per l. 1. & 2. de pactis, jam v. pupillus  
nihil scit. l. ult. de jur. & fact. ignor. & infirmum habet judici-  
um l. fin. de manumiss. vind. & l. pupillus 189. de R. I. unde consen-  
tire & consequenter obligari non potest, sed ipso jure mu-  
nitus est l. 1. de minor. h. e. ut benè explicat Anton. Fab. cui au-  
thoritas juris illæsum jus suum conservat, haud obstante  
negotio quod gessit, perinde ac si non gessisset. Eatenus  
autem verum hoc, quatenus non locupletior factus l. 5. in  
pr. & §. 1. I. de auth. tutor. l. 4. §. 4. de except. dol. & met. l. 47. de so-  
lut. & non dolo malo versatus l. 1. §. 15. depositi l. 13. de dol. mal.  
nec ex re actio venit l. 46. de O. & A. nullo enim consensu  
opus ubi ex re actio proficiscitur cum actio etiam ignoran-  
ti ac-

4  
ri acquiratur d.l. 46. l. 12. de R. Cr. de qua controversia uberiora proponit Dn. D. Riem. dec. 3. q. 8. III. MINORES PUBERES si nullum habeant curatorem obligari posse nullum est dubium, quod si verò curatorem habeant non magis sine ipsius consensu obligabuntur, quam prodigi l. 3. C. de restit. in intr. Quæ tamen inhibitiō obligationis non pendet à defectu consensensus, sed ab interdictione administrationis, quæ dato curatore facta videtur per l. 1. in fin. ff. de minor. Don. 12. comm. 22. Gædd. ad l. 21. de V. S. n. 6 & seq. ac de contr. stip. c. 7. concl. 14. n. 264. Dn. D. Riem. d. 3 q 9. Tertiò impediuntur inter se invicem mediante contractu, civiliter credere & debere illi, quibus obstat aut potestas dominica aut patria. Dominica obstat servo & domino: unde hi contrahendo invicem civiliter non obligantur l. non solum 49. §. 1. d. pec. l. 14. de O. & A. l. 56. §. 1. de fidejuss. junct. §. item inutiles. 6. I. de inutil. stip. Tum quia servi jure civili pronullis & promortuis reputantur l. 209. de R. I. arg. 1. I. quib. mod. jus p. pot. toll. Tum quia cum domino fingitur eadem persona, arg. l. 10. ibiq. Goth. de opt. leg. Gædd. de contrah. stip. c. 7. n. 68. Riem. d. c. 10. §. 43. n. 21. Nunquam autem fieri potest, ut conventio & pactum, quod est plurium l. 1. §. 2. de pact. in idem subjectum concidat, ita ut quis sibi obligetur aut secum contrahat l. 18. §. 1. de stip. serv. l. 21. §. 2. & 3. in fin. l. 56. §. 1. l. 71. pr. de fidei: Dn. D. Riem. d. §. 43. n. 8. Civiliter dixi: nam naturaliter contrahendo servi omninò obligantur non tantum Domino §. 1. in. I. de fidei l. 4. de cond. indeb. l. 10. ff. pro emt. l. 14. de O. & A. sed etiam extraneo d. l. 14. de O. & A. l. 13. junct. l. 64. de cond. indeb. Dn. D. Riem. d. §. 43. n. 23 qui insuper sub n. 24. probè adducit; quid juris in hoc passu quo ad colonos adscriptitios, quos Germani nostri *Reibeigene* vocant, nec non quo ad liberos homines b. f. servientes, ubi exactiora desideranti in solidum satisfaciet. Patria potestas obstat patri & filiof. unde etiam hi invicem contrahendo regulariter non obligantur, §. item inutilis. 6. I. de inutil. stipulat. l. 2. de contr. emt. junct. l. frater à fratre 38. §. quasitum. 1. & 2. de cond. indeb. l. 15. §. 1. & 2. de castr. pecul. l. 56. §. 1. de fidei. l. 36. pr. de. cond. indeb. Potissima ratio hujus rei later in patria potestate, quæ demum facit,

C 2

tum

34

tum ut pater & filius, pro una persona habeantur. *l. fin. C. de impub. & aliis subst. l. pen. C. de agric. & cens. prout etiam naturaliter pro una carne reputantur c. pen. §. hæc auctoritate. caus. 31. q. 2. & 3.* In una autem persona obligationem non posse subsistere, paulo ante in præcedentibus dictum est. Tum & hoc efficit; ut filius, patri acquirat quicquid acquirit ex re paterna, de jure noviore §. 1. *vers. sancitum etenim à nobis l. per quas pers. nob. acq. vel etiam aliunde & extrinsecus olim de jur. veteri d. §. 1. in pr. d. t. l. cum oportet. 6. C. de bon. qua lib.* in tantum, ut ne momento aliquo subsistat in persona ejus, per quam acquiritur *l. placet. 76. de acquir. q. red. l. 1. si à parent. manumiss. quis fuer.* Frustranea itaq; esset obligatio tam respectu patris; Siquidem quod per acquisitionem filii illius fieret, absolum esset denuò per obligationem ejus fieri, *arg. l. 14. §. 2. in fin. de except. rei judic. §. sed si rem 10. l. de leg. §. sic discretis. 14. l. de actionib. l. 4. §. 19. de usuc. junct. l. 45. de R. l. cum similib.* Quàm respectu filii: quippe qui jure pristino nihil proprii habere potuit. *Ulpian in frag. tit. 20. §. 10.* Jure noviore verò superfluè apud patrem per obligationem quid quæreret, quod acquisitum ad patrem eodem momento reverteretur. *arg. d. §. 1. l. per quas pers. l. 6. pr. C. de bon. qua lib. junct. d. l. 79. de acquir. her. pluribus hæc explicat Dn. D. Riem. d. §. 43. n. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.* Ex quibus omnibus & præsertim ex jam adducta ratione secunda sufficienter apparet, ea quæ hæctenus de inhibita obligatione inter patrem & filium dicta sunt, tantum pertinere ad eas res, quæ patri alias acquiruntur. Unde etiam Justinianus appositè ait; Vox tua tanquam filii, sicuti & filii vox, tanquam tua intelligitur, in iis rebus, quæ tibi acquiri possunt. §. *si quis 4. l. de inutil. stip.* Nullum itaque dubium est, primò de Castrensibus credere & debere, adeoque obligationis inter se capaces esse possint *arg. pr. l. quib. non est perm. fac. test. l. pen. & ult. C. qui test. fac. poss. l. fin. §. 1. C. de in off. test. junct. t. l. de l. Fus. C. toll. non tantum ex ratione jam attackta, quia hæc res patri non acquiruntur d. §. 2. in fin. de inutil. stip. sed etiam quia in his casibus filius, censetur pro patre familias l. 2. ad Sct. Maced. *arg. l. 6. §. fin. de injust. rupt.* adeoque patria potestate, & inde*

inde promanante unitatis fictione cessante, merito quoque  
cessat obligationis inhibitio, arg. l. generaliter. C. de Episc. & Cl.  
S. illis autem l. de test. milit. §. ult. l. autor, tut. Bald. in l. 1. C. si rect.  
prov. Secundo quoque idem obtinet in peculio adventio  
irregulari, quod pleno jure pertinet ad filium, ut nempe in-  
ter patrem & filium firma obligatio esse possit; quod patet  
tamen ex Novell. 117. c. 1. ubi Justinia: filiis. licentiam dat quo  
volunt modo disponendi inter vivos de ejusmodi peculio.  
Ergo etiam facultatem obligandi indulgisse videtur: Siqui-  
dem alienatio contractus quoque continet arg. l. fin. C. de  
reb. alienis. non alienand. Et princeps bona concedendo, vide-  
tur quoque obligationes concedere, l. princeps. 21. de V. S.  
Tum ex eo, quod, quia talia peculia de jure Justiniano pa-  
tri non acquiruntur, d. §. 1. l. per qu. pers. l. fin. pr. vers. sive è con-  
trario C. de bon. qua lib. d. N. 117. c. 1. filius quoque cum patre  
hoc in passu pro una persona non amplius habeatur arg. à  
contrario sensu deducto ex d. §. 4. in fin. l. de inut. stipul. Et  
hanc sententiam tanquam communem defendunt Donell.  
lib. 12. comment. c. 23. l. c. Gometz. lib. 2. var. resol. 2. n. 2. & alii. à  
qua recedit Gædd. de contr. stip. c. 7. n. 48. & seqq. quem solide refu-  
tat Dn. D. Riem d. c. 10. §. 43. n. 16. De illo vero peculio adven-  
tio, cujus ususfructus ad patrem spectat, proprietate tan-  
tum filio relicta, quod respectu superioris non incommo-  
dè regulare dici posset, res controversior esse videtur, pro-  
pter usufructum patri debitum, d. §. 1. l. per qu. pers. nob. l. cum  
oportet. 6. C. de bon. qua lib. Unde etiam obligationem hisce  
de bonis non permittunt Gometz. lib. 2. var. resol. 1. n. 2. Bart.  
ad l. fin. in pr. n. 2. circ. fin. C. de bon. qua lib. Contrarium tamen  
cum Donell. 12. comm. 23. Dn. D. Riem d. §. 47. n. 17. mihi videtur  
verius esse, quod nempe pater & filius etiam in his pecu-  
liis invicem obligari queant. per rationem à contrario sen-  
su desumptam ex d. §. 4. l. de inut. stip. maximè si pater suo juri  
renunciando l. pen. C. & l. 46. ff. de pact. vel ejus quod sua inter-  
est rationem habendo, velit cum filio contrahere prout Dn.  
D. Riem. d. n. 17. Denique etiam hoc ex superioribus maximè  
ex prima ratione à patria potestate desumpta, apparet, quæ  
de inhibita obligatione inter patrem & filium ibidem di-

Ita sunt, non habere locum in filiis emancipatis, neque etiam intelligi posse de obligatione naturali. Quemadmodum enim patria potestas non amplius obstat emancipatis illorumque obligationi, quippe qui per emancipationem, quæ hodiernis moribus etiam per matrimonium, mensæ, domiciliivè separationem contingit, Wenn die Kinder nicht mehr an des Vaters Brodt sein / Landr. lib. 1. art. 13. & lib. 2 art. 19 Const Elect 10 p. 2. Möll. 2. semest 16. n. 6. in fin. Wesenb. π. de adopt. n. 7. & de his q sunt sui vel. alien n. 3. Schn. S. præterea, I. quib mod. jus pat. pot. sol. n. 4. Hill. Don. 2. cap. 26. l. m. Cöl. decis. 66. n. 8. Dn. D. Riem. d. 2. q. 1. in fin & q. 4. circa fin & 1. de contr. 10. §. 43. n. 19. ex nexibus patriæ potestatis & consequenter ab ejusmodi effectibus & fictionibus omnibus & singulis penitus liberati sunt, §. 6. I. quib. mod. jus p. p. solv. l. emancipari. 36. ff. de adopt. l. pen. & ult. C. de emancip. Ita etiam eadem patria potestas non potest impedire obligationem naturalem, quia naturalia jura excludunt omnem fictionem, & tot numerant personas, quot capita Clud. de cond. indeb. c. 4. num. 17. Unde nemo ambigit, quin pater & filius invicem naturaliter obligari possint. l. frater à fratre in pr. de cond. indeb. & d. l. §. 1 & 2 ubi Bart. & jas. n. 22. Dn. D. Riem. d. §. 43. n. 20. Tandem coronidis loco in classem eorum, qui inter se invicem contrahendo Obligari non possunt, de jure Saxonico referri etiam potest maritus & uxor. Cum enim maritus curator ejus sit legitimus qui aliàs vocatur Ehlicher Vormunde: das Weib/wenn sie in des Mannes Bette tritt / ist sie sein genossen / vnd tritt in sein Recht / vnd er ist ihr Vormund Landr. lib. 1. art. 45. ubi Zob. lit. a. & lib. 3. art. 45. Zob. lit. d. Et nullus tutor aut curator possit in rem suam autor fieri. §. fin. l. 1. pr. l. 5. pr. l. 7. pr. ff. de autor. tutor. Inde sequitur etiam in hisce terminis obligationem inter eos consistere non posse, quod si tamen uxori alius curator peculiariter ad hoc constitueretur, maritus & uxor non tantum invicem contrahere, emere, vendere permutare & similes contractus, excepta donatione celebrare, sed etiam quod consequenter per se patet firmiter obligari possent, prout optimè deducit. Möll. in comm. ad Censt Elect p. 2. const. 15. n. 49. & seq. Berlich. p. 2. concl.



17. n. 32. 33. & 34 Quodque hac ratione obtinet in marito  
& uxore, commodè quoque trahi potest ad tutorem &  
pupillorum; curatorem & minorem, prodigum vel quem-  
vis alium curandum, de quibus singulis plura, qui volet, vi-  
dere habet apud *Dn. D. Riem. sapè d. §. 43. n. 25. & 4. seqq. usq.*  
*ad finem.* Tantum de subiecto.

### XIII.

Objectum sive subiectum occupans sunt RES & FACTA,  
*§. ult. I. de V. O.* RES sive sunt mobiles, sive immobiles, cor-  
porales sive incorporales, & generaliter omnes, quæ no-  
minatim non excipiuntur, in obligationem deduci regulari-  
ter possunt. Excipiuntur v. I. quæ ratione materiæ defe-  
ctum habent, uti sunt illæ quæ omninò in rerum natura  
non sunt, *§. 1. I. de inutil. stip. l. 57. l. 58. de contrab. emt. nec futu-*  
*ræ sperantur, quia ridiculum seu absurdum est, aliquid exi-*  
*gere quod præstare nequit, l. 185. de R. I.* II. Excipiuntur  
quæ ratione legis obstantis in obligationem deduci non  
possunt, & à lege vel IN TOTUM (uti sunt res sacræ, sanctæ,  
religiøsæ, liber homo, *l. 6. l. 34. §. 1. & 2. d. t. de contrab. emt. §. 2.*  
*I. d. t.* neque interest quo ad infirmationem obligationis,  
an res ab initio tales sint, an postea sine facto debitoris ex  
eventu quodam tales esse ceperint *l. 83. §. vers. nam & cum. ff.*  
*de V. O. §. 3. vers. item contrab. I. de inutil. stip.* Nec in pendentem  
erit stipulatio ob id, quod res sacræ possent fieri res profa-  
næ, aut liber homo. servus, sed protinus inutilis est obliga-  
tio, *d. §. 2. I. d. t. de inutil. stip. d. l. 83. §. 5. pr. de V. O.* excipiuntur ta-  
men res sacræ mobiles *l. 21. C. de S. Sanct. Eccl. Novell. 120. c. 10.)*  
extra patrimonii nostri computationem reposita, vel Mo-  
DO QUODAM, ut mancipium Christianum judæo & c. *t. t. C.*  
*ne Christian. mancip. hab.* quo referri etiam poterit prædium  
dotale à marito non alienandum *l. 42. de usucap. l. 4. l. 13. §. 1.*  
*fund. dotal. pr. I. quib. alien. lic. vel non. res litigiosa. l. 1. l. 3. ff. de litig.*  
*C. d. t. plura eleganter Hill. Donell lib. 12. com. 20.*

FACTA debent esse licita & possibile, impossibile enim  
nulla obligatio. *l. impossibile. de R. I. l. 31. de O. & A. §. 11.*  
*I. de inutil. stipul.* Impossibilia autem non tantum illa dicun-  
tur,

34.

cur, ubi natura impedimento est, prout in d. §. 11. veluti cœlum  
adscendere, seu si quis Romæ ita stipuletur, hodiè Cartha-  
gini dare spondes §. 5. *I. de V. O. & l. 2. §. 6. de eo quod cert. loc.*  
Verum etiam ubi lex impedimento est *l. 5. C. de ll.* Insuper  
illud quoque factum impossibile dicitur, quod contra bo-  
nos mores. *15. de cond. instit.* Ideoque generaliter novi-  
mus, turpes stipulationes nullius esse momenti, *l. 26. de V.*  
*O. & quæ contra bonos mores in ita, non valere l. 61. d. t. l. 112.*  
*de leg. 1. adeo ut ex tali instrumento cui contra bonos mo-*  
*res quid insertum, nullam actionem habere possimus, l. 4.*  
*C. de inutil stip. sed ipso jure inutile sit, l. 123. de V. O.* Sunt au-  
tem Res turpes seu contra ll. quibus promittitur aliquid  
quod per se turpe velut si quis homicidium, vel sacrilegum  
se facturum promittat *l. 27. d. t. de V. O.* vel si paciscetur ne  
furti agat, vel injuriarum, si fecerit alius. Expedi enim ti-  
mere furti vel injuriarum pœnam. *l. 27. §. 4. de pact.* vel pe-  
cuniam polliceatur alicui, ne horum quid faciat, *ut est in l.*  
*7. §. 3. d. t. nam & hoc turpe est, pro illo pecuniam accipere, à*  
*quo spontè alicui abstinendum, l. 2. l. 9. de cond. ob turp. & non*  
*pactis, sed pudore & officio ac legum metu à maleficiis tem-*  
*perandum Hott. ad d. l. 7. §. 3. d. t. de pact.* Horum itaque & si-  
milium factorum nulla obligatio *l. 27. §. 4. d. t. & ibi Ant. Fab.*  
*& sup. dd ll.*

### XIII.

Adjuncta sunt dies, conditio, locus & alia *l. 44. de O. & A.*  
De tribus prioribus in præsententi, Reliqua adjuncta possunt  
videri in *d. l. 44. d. t. de O. & A. & apud Duaren. l. 16. de O. & A.*  
*cap. 5.* Dies quidem multis accedit modis obligationi,  
aut enim adjicitur, ut obligatio multiplicetur sicuti fit in *l.*  
*41. pr. & l. 56. §. 4. qui ita. de V. O. l. 60. pr. loc. & pr. l. eod. t. de V. O.*  
aut ut restringatur vel temperetur conditio inhærens, sci-  
licet Si Lucius ante Kal. Mart. in Italiam non venerit *l. 10. d.*  
*t.* aut ut obligatio finiatur non quidem ipso jure sed ut per  
exceptionem vel pacti vel doli is qui petit, post tempus con-  
stitutum removeri possit. *l. 44. §. 3. eod.* potissimum autem  
differendæ solutionis gratia apponitur *l. 118. §. 1. d. t. ubi so-*  
lutio

lutio sc. in diem confertur; Et tunc nec ante diem, quia is totus arbitrio solventis tribuitur, nec eo quidem, in quem solutio destinata, peti potest, sed demum cum præterierit, §. 2. I. de V. O. & l. 42. l. 183. eod. Interim tamen præsens est obligatio, d. §. 2. l. 46. eod. Siquidem cessit dies, quamvis nondum venerit, quo pecunia vel res peti posset l. 213 de V. S. ac quæ differri dicuntur, jam quidem ipso jure nata sunt, sed æquitate conventionis, in aliud tempus rejiciuntur, §. 10. I. de except. Sic actio differri quidem dicitur d. l. 118. §. 1. in fin. de V. O. & in diem solutio d. l. 45. d. t. de V. O. verum his verbis actionis existentia non planè tollitur, sed tantum illius exercitium & executio si ve exactio suspenditur arg. l. 13. §. 8. de act. emt. junct. l. 46. de V. O. l. 44. §. 1. de O. & A. l. 213. de V. S. Undè etiam interea non inutilis est obligatio, quia novari potest l. 5. de novat. impedit solutionem l. 10. de cond. indeb. Donell lib. 14. c. 11. quæ sanè repetitionem utiq; non impediret, si inutilis fuisset, Quin & ulterius dicendum, quod debitum tale, dum non apertè dies creditoris causa adjunctus sit vel statim invito creditori etiã solvi posse, l. 38. §. 16. l. 137. §. 2. de V. O. ratio est, quia dies pro reo adjicitur l. 41. §. 1. d. t. seu ut ait Robert. 1. Sent. 26. Dilatio in favorem rei fit, propterea, ut facilius intermedio tempore solutionem parare possit; quemadmodum igitur dilatio ipsi debitori auferri nequit, sic eidem renunciare cur non liceret l. pen. C. de pact. Donell. lib. 16. c. 11. Bach. ad Trent. 2. disp. 29. §. 3. lit. 1. Donell. ad l. 41. de V. O. n. 44. Quod in tantum obtinet, ut etiam debitori integrum sit pecuniam ante diem offerre, ut usurarum præstationem evitet, nisi aliud contrahentes nominatim voluisse appareat l. 122. ubi post alios Duar. Donell. n. 5. & 6. d. t. Molin. de usur. q. 55. n. 385. Covarr. lib. 1. c. 15. n. 10.

### XV.

Conditio etiam, ut dictum, pro adjuncto obligationis habetur, quæ aliàs quidem plura habet significata, ea autem omnia attingere, non dixi esse admodum necessarium, Retineo itaq; illum sc. significatum, quo Comm. à Dd. definitur, quod sit futurus eventus, in quem dispositio suspenditur,

D

ditur,

ditur, vel ut verb. Imp. Justinian. §. 4. de V. O. habent. cum in ali-  
quem casum differtur obligatio. Unde differunt in diem facta  
conventio, & conditio: Illius enim dies adiectus certus,  
ut paulo ante dictum, hujus v. eventus dubius & incertus,  
& propterea ejusmodi stipulatio: Dabis cum moriar, licet  
incertum sit, pro conditione non habetur, quia certum est  
illam existuram esse l. 17. l. 18. de cond. ind. l. 9. §. 1. de novat. hinc  
nec obligatio in conventionem in diem facta suspenditur,  
& differtur, per l. 213. de V. S. l. 13. §. penult. 5. de pignor. & hypoth.  
l. 19. de const. pec. ex conditionali enim stipulatione tantum-  
modo spes est debitum iri. §. 4. l. de V. O. Dum v. obligatio  
differtur & suspenditur, eo ipso innuitur qualem- qualem  
obligationem subesse, arg. eorum quae precedenti d. dicta sunt.  
Quam conceptam quidem, sed nondum natam neque actio-  
ne sua adactam non incommodè dicere possunt cum Joch.  
Hopp lib. 2. περὶ ἀντ. pag. 45. Hill. Don lib. 15. cap. 11. lit. a. Cuius  
qualis qualis obligationis effectus est. quod ab hujusmodi  
conventionem non liceat resilire, & debitor hic, conditiona-  
lis debitor vocatur, opponiturque; improprie dicto l. 10. de V.  
S. & c. plures effectus hujus obligationis conditionalis ex-  
hibet Hill d. c. 11. lit. a. Dn. D. Riem. 1. de contr. 7. §. 36. n. 29 qui po-  
sterior per tot. §. 36. plana manu tractat de conventionem conditionalis  
ubi per otium videre licet.

## XVI.

Et locus adjici solet, in quo solutio fieri debeat. §. loca. 4.  
l. de V. O. quo casu tacite inest dies seu tempus, quo commo-  
dè ad eum locum perveniri possit. l. 37. d. 1. ante illud tem-  
pus autem petere non licet, cum ille malè agat, qui ante  
tempus vel diem petit, l. 1. fin. quand. dies usus. Quamvis verò  
aliàs in judiciis tempus itineris ordinatum, videlicet 20.  
miliaria pro qualibet diara l. 1. si quis caut. in jud. sist. §. qui au-  
tem. 16. l. de ex c. tut. l. 13. §. 1. & 2. ff. eod. junct. l. 3. de V. S. attamen  
in contractibus expressè illud non reperitur, igitur com-  
mittitur arbitrio boni viri id est judicis. l. 137. §. 2. de V. O. arg.  
l. interdum. 73. pr. d. t. r. 1. ff. & c. de eo quod cert. loc. qui aestimet  
quanto tempore diligens pateret. conficere possit, quod se  
factu-

facturum promisit &c. ubi *Dd. ad d. t. Menoch. lib. 2. de arbit. cent. 1. cas. 2. qui eleganter hunc locum quale se. judicis arbitrium debeat esse. explicat, d. cas. n. 12.*

## XVII.

Contraria obligationi est dissolutio & liberatio quoque modo facta, *l. solutionis. 54. de solut. & liberat.* contingit autem multis modis: Liberationum enim quædam communes, quædam v. propria certarum obligationum. Communes aut contingunt ipso jure. *l. 38. §. 1. l. 72 d. t.* aut ope exceptionis, *l. 5. C. de pact.* Ipso jure contingunt vel *suapte conditione*, vel *contrahentium facto*, de quibus omnibus latissimè agit *Hugo Donell lib. 16. comment. per tot.* qui videri potest, cum jam mei instituti non sit, omnia hæc exactè tractare, siquidem aliàs nimis longè immorerer; Interim tamen placet de iis modis pauca subicere, quos Imperator recenset *in tit. I quib. mod. oblig. toll.* Quorum quatuor ibidem reperiuntur I. SOLUTIO II. ACCEPTILATIO. III. NOVATIO. IV. CONSENSUS CONTRARIUS: de quibus singulis brevissimè.

## XVIII.

Solutione ejus quod debetur, ipse jure obligatio tollitur, *inquit Justinian in pr. l. d. t.* Quamvis verò solutio generaliter pro qualibet liberatione, seu actuali satisfactione per debitorem, aut alium ejus nomine, creditori factâ accipiat, *l. 54. solutionis l. 52 de solut. l. solutionis 176. de V. Sig.* Tamen his strictiori in significatione ad numerationem rei debitæ refertur *l. 49. solut. am. de solut. quæ numeratio seu solutio legitime facta si fuerit, non dubium erit, quin obligatio per eam tollatur secundum. dd. ll.* Nec refert quis solvat; utrum ipse qui debet, an alius pro eo, liberatur enim & alio solvente sive sciente sive ignorante, invito sive volente debitore, solutio fiat. *d. pr. I. quib. mod. oblig. toll. l. 53. l. 23. eod.* Naturalis enim & civilis ratio suadet alienam conditionem etiam ignorantis & inviti, meliorem facere nos posse. *l. 39. de neg. gest.* Quamvis autem ille qui pro alio solvit, ipsum obligatione liberet, & ejus negotium gessisse dicatur, tamen, si pro

invito & specialiter prohibente solverit, repetitio cessabit,  
& nullam adversus eum vel directam, vel utilem contra-  
riam actionem habebit, quamvis ab eo res bene gestæ sint,  
*pro ut habent verba Justiniani l. fin. C. de neg. gest.* Cum invito be-  
neficium non detur. *l. invito. de R. I.* Pro ignorante v. sol-  
vens actionem negot. gest. habet *l. 43. de neg. gest.*

### XVIII.

Acceptilatione quoq; contingit liberatio: §. *item per acce-  
ptilationem. f. d. t. quib. mod. obl. tollit.* quæ æquiparatur solu-  
tioni veræ. *d. §. per acceptilationem*, quia perinde obligatio-  
nem tollit, ac vera solutio, & eundem habet effectum ve-  
ræ solutionis ex consensu creditoris & juris artificio. Dif-  
ferunt tamen in eo, quod illa re ipsa dicatur solutio; hæc  
v. imaginaria seu ficta, quia in hac non opus est, ut interve-  
niat res aliqua seu pecunia, sed acceptum fingitur, quod  
non offertur, deinde vera solutione omnes obligationes  
possunt solvi. Acceptilatione v. tantum obligationes verbis  
initæ dirimuntur, non v. cæteræ. Consentaneum enim vi-  
sum est, verbis factam obligationem, aliis posse verbis dis-  
solvi *ait Just. d. §. i.* prout enim quidq; contractum ita & dis-  
solvi debet *l. 80. de solut.* quare si quid ex alia causa seu cõtra-  
ctu debeatur; instipulationem prius deduci, atque ita de-  
mum per acceptilationem dissolvi debet. *d. §. item per acce-  
ptilationem l. quib. mod. obl. toll. latè Donell. lib. 16. c. 21.*

### XX.

Novatione insuper obligatio dissolvitur, §. *præterea. I. d. t.*  
*l. 1. de novat. & definitur. in d. l. 1.* quod sit prioris debiti seu  
obligationis in aliam, vel naturalem vel civilem, transfusio  
& translatio, ut prior scilicet obligatio perimatur, & nova  
constituatur. Differt itaque ab acceptilatione, quia illius  
natura est, ut radicitus obligationem tollat, hujus verò, ut  
non penitus tollat, sed illam potius in alium transfun-  
dat *d. l. 1.* secundò etiam quaslibet obligationes per  
novationem tollere possumus *d. l. 1.* quod per acce-  
ptilationem secus est, ut dixi ex *d. §. 1.* nisi demum in-  
ter-

terveniente Aquiliana stipulatione, §. est autem. 2. I. quib. mod. obl. toll. Sed sciendum, novationem nomen generis, ita ut etiam delegationem deprehendat, & speciei esse, ita ut delegatione opponatur & definitionem in principio hinc positam generalem significationem nominis respicere. In specie verò novatio est debiti seu obligationis in novam stipulationem translatio, qua vetus obligatio dirimitur, absq; interventu novæ personæ. Treut. par. 2. d. 29. §. 5. Delegatio verò est mandatum quo creditor debitorem jubet id quod sibi debet, promittere alteri. Treut. d. d. 29. §. 6. ubi vide & Hillig. Don. 16. cap. 20. lit. l. ubi hanc definitionem probè explicat. Wesemb. π. de novat. n. 9. Et quod ad hanc novationis speciem attinet, de ea non est dubium; quin semper novæ personæ interventus requiratur, si prior obligatio deberi debeatur, aliud v. in novatione in specie dicta quæ hodiè aliter non fit, nisi expressè & disertè contrahentes expriment, & dicant, se velle priore obligatione perempta, novam fieri, ut est in l. ult. C. eod. d. §. præterea circ. fin. I. quib. mod. oblig. toll. Wesemb. π. d. t. n. 6. Treut. d. 29. §. 5. lit. f. Hænon. d. 17. §. 30. Neque in casibus in quibus olim ipso jure faciebat, novatio hodiè ad excipiendum tantum valet, per text. d. l. fin. & d. §. præterea. I. d. t. & Dd. comm. Gail. 2. obser. 30. n. 3. Schnid. d. §. præterea, I. eod. Dn. D. Arum. d. 16. exercit. 17. Forst. 1. d. 19. §. 13. & alii.

### XXI.

Obligatio tandem contrario dissensu ipso jure dissolvitur, qui est 4. & postremus modus ab Imper. sæpè allegato tit. quib. mod. obligat. tollit. tollendarum obligationum causa positus; pertinet autem hic modus ad emtionem, locationem, mandatum & societatem, cum hi contractus solo consensu constant, adeò etiam contrario rursus dissolvantur, siquidem nihil tam naturale est, quam eodem genere quicquam dissolvere, quo colligatum est l. 35. de R. I. & l. 80. de solut. Sed ista dissolutio ita demum procedit si res adhuc sit integra: Exempli gratia in emtione re nondum secuta, seu pretio non soluto, §. fin. I. quib. mod. obl. toll. l. 1. & 2. C. quand. lic. ab emt. l. 23. l. 5. §. ff. de rescind. Unde rem integram puto tum so-

D 3

lum

lum esse, quando sc. de iis rebus nihil præstitum est, in quas  
contrabentes obligati sunt. *l. 58. vers. nec quicquam l. 7. §. 6. de  
pactis. Donell. lib. 16. comm. 17.* Non v. res integra esse desinit, si  
fortè arrhæ simpliciter datæ sint, ut sint argumentum em-  
tionis contractæ *pr. l. de emt. vend. l. 11. §. is qui vina. de act. empt.*  
aut si fidejussores constituti, *l. 3. de rescind. vend.*

Sed cum non omnia exactissimè per agere, sed potius  
Laconicâ brevitate hanc obligationum materiam perstrin-  
gere mihi proposuerim, tandem hac vice filum abrumpo.

Gloria sit summo lausq; decusq; D E O.

---

Præstantis<sup>o</sup> Dn. R E S P O N D E N T I,  
Consalino suo delicto, de O B L I G A T I O -  
N I B U S Disputanti,

**E**Rgò liganda mihi versu, AUGUSTINE, ligandi  
Materiam tua Dissertatio ritè resolvens  
LEGE liganda liga, sunt quæ solvanda resolve;  
TE Themis alma brevi, TE Sponsa decora ligabit.

applaudebat

Johann. Himmelius D.

---

Eidem

**S**IC, Hufflere, Dices rectè grassaris ad artes,  
Illatebrans cerebro jusq; bonumq; tuo.  
Non tantum vigili si strenuitate revolvis,  
Solis & ad lychni lumina priva, libros.  
Lectaq; communi Logices indagine strictim  
Discutis, ac linguæ das referenda tuæ.

Sed



Sed quoq; consuescis, thesibus comprehendere  
puncta

Juridica, & chartis hæc amicire novis.

Gratulor hunc nisum triplicem, tria gratu-  
lor orsa:

*Scire, loqui, nec-non scribere jura studes.*

*Ex bono affectu scribebat*

Georgius Stimmel.

J. U. D. Præses.

---

**M**ateria strictis dum solvis, amice, ligatam  
perplexitatem vinculis,

Disquirens quidnam servetur juris & equi,  
in obligationibus:

Gaudent, mirantur, plaudent, gratantur, amici  
fidi sodales singuli

Me quoque gratantem agnoscis, præstantibus ausis  
acclamo faustis plausibus.

Hujus materie dubito (Tu ignoscite fasso)  
æquene praxin calleas:

Nam tua dextra minus firmè ligat, obligat illud:  
quod colligatum percupis.

Quale sit agnoscis, nec nostrâ interprete crenâ  
aut Oedipo quodam indiges.

Tran-

*Transeat hoc, levibus nam tradimus omnia ventis  
ferenda, quae sunt irrita.*


*Tu, precor, hos splenis petulantis suscipe vultus  
jocus sereno innoxios.*

Ita amico ac consalino per dilecto  
gaudens gratulabatur

M. Christophorus Schultetus  
Starg. Pomeran. Facultat.  
Philosoph. Adjunctus.

**FINIS.**





ULB Halle

3


005 132 665



VDA 7







URIDICA  
*No 211.*  
**TIONI-**  
**ENERE**  
 1624,5  
 adjuvante  
 15  
 ione Magnifici  
 mi Jctorum Or-  
 demia Jenensi  
 SIDIO  
*S. mi Viri Dn.*  
**IMMELII**  
 c præceptoris  
 limi,  
 ingenii modulo  
 tur  
**INUS Hueffler /**  
 Churing.  
 co consueto  
**EITHMANNI.**  
 XIX.

4  
 16  
 34

